

& coloratum, sed omnia debent esse pura, & sincera sine ulla tinctura D. Chrylog. modo datus ait, Christus discipulum suum profanis luctibus non luit interesse.

59. Exorans Christus in cenaculo pro suis Apostolis ait, Joan. 17. n. 17. Pater sanctifica eos in veritate, nunquid ab Actore Parente, qui est ipsa veritas, potest aliquid esse, quod non sit verum? quo autem affectu id poscat, in proximo aperit n. 19. Ut ipsi sint sanctificati in veritate, ut ita sint sanctificati in veritate, ut nullam sanctitatis larvam induant. Cajetan. Ut intelligi possit, ut sanctificati sint, non fide, sed vere, hoc eis postulat Christus in ultimo discessu ab eis; pro magno bono hoc eis valde fervide postulat à Patre.

60. De Davide dat Dominus illud præclarissimum testimonium, Inveni David virum secundum cor meum. 1. Reg. 13. n. 14. & Actor 13. n. 22. Ex intima & puritate cordis, qua semper deprecabatur Deum psalm. 118. n. 34. In toto corde meo exquisivi te. n. 58. Ut custodiam illam in toto corde meo. n. 69. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Iterum, In toto corde meo scrutabor mandata tua, & tandem n. 45. Clamavi in toto corde meo, & Psalm. 110. n. 5. Confitebor tibi Domine in toto corde meo In quibus nota, exponens Deo cor suum, non ait cor tantum, vel cor meum, sed totum cor; Clamavi in toto corde meo, Confitebor tibi in toto corde meo, quia totum cor suum erat Deo, sine dolo, & fictione, ut notat D. Hieron. & ait, Si non fuisset david simplex, & dolum habuisset, non dixisset, Confitebor tibi Domine in toto corde meo; ex tantâ puritate, & simplicitate cordis promeruit illud magnum elogium ab ore dei, Inveni virum secundum cor meum.

61. Act. 13. n. 19. Apprehendens autem Tribunus manum illius secessit cum eo seorsum, & interrogavit illum, quid est, quod habes indicare mihi.

QUARTA EXPOSITIO usque ad Vers. 22.

61. Vers. 19. Apprehendens autem Tribunus manum illius. Valde benigne excepit Adolescentem Tribunus, quod signum est apprehensionis manus; Secessit cum eo seorsum. Syriac. Traxit eum ad unum latus seorsum, hæc tanta clementia vel fuit ex naturali benignitate, vel ut resarciret injuriam illam Pauli, quod eum intentaverit flagellare, cum esset civis Romanus, vel ait Menochius, cogitavit, quod Adolescentem aliquod munus, seu pecuniam deferebat, & ideo cum eo voluit in secreto.

62. Vers. 20. & 21. Judæis autem convenit, rogare te, ut producas Paulum in Concilium, & ibi expectant tuam promissionem, non factam, sed faciendam, ut producas Paulum in concessum, ut hac occasione irruentes in itinere possint illud occidere.

63. Vers. 22. Dimisit Adolescentem præcipiens ne cui loqueretur. Syriac. Nemini patefacies te hac mihi indicasse D. Chrylost. Quod hac nobis retuleris Secretum Adolescenti recommendat Tribunus, quia tales sunt valde prout ad dicendum, ac loquendum & Tribunus volebat ostendere, quod miserat Paulus ad Cæsarem, tamquam ad præsidem superiorem non ob declinandas insidias.

Act. 23. n. 23. Et vocatis duobus centurionibus dixit illis, parate milites ducentos, ut eant usque Cæsarem, & equi Septuaginta, & Lancearios ducentos à tertiâ horâ noctis.

Versiones.

QUINTA EXPOSITIO usque ad Vers. 30

64. Vers. 23. Dixit illis, parate milites ducentos, duplicat Syriacus, Apparate Romanos ducentos, Milites erant Romani, sicut & Centuriones, & quilibet Centurio habebat sub sua potestate centum milites. Equites septuaginta, & lancearios ducentos; erant homines loricati longas hastas gerentes; tertiâ horâ noctis, Arabic. Adfuit in atrio ad tertiâ horam nocturnam. Judæi utpote & Romani, sicut diem in quatuor partes, ita & noctem, & sicut prima hora diei erat ab ortu solis sic & prima hora noctis ab occasu solis, in nostro conspectu hora tertiâ est post mediam noctem.

65. Ut eam usque Cæsarem, quæ erat Judææ caput, & inde in ea extabat præsidis domicilium. ut patet ex Tacito lib. 18. & hoc maxime sollicitante Herode qui eam maxime amplificavit, & in gratiam Cæsaris Cæsarem nominavit, & ad majorem illius nobilitatem ordinavit, ut esset caput regni, & sedes præsidis, & in ea ædificatum est prætorium, ut patet ex sup cap. 35.

66. Vers. 24. Et jumenta præparate, sive equos tam pro Paulo, quam etiam pro sociis ejus, ut exponunt magister historiæ Ecclesiasticæ, & Carthufianus; tam crudele erat odium Judæorum in Paulum, quod non solum contra ipsum fremebant sed etiam in ejus socios, & amicos, ut imponentes Paulum saluum producerent. Syriac. Et ereptum eum producatis à tot, & tantis insidiis liberum.

67. Vers. 25. Timuit. hic versus non est in Græco Tamquam accepturus pecuniam, ideo Paulum tradidit Judæis ad occidendum utpote pecunia corruptus, & pro tanta infamiâ evitandâ cum tantâ custodia mittit Paulum.

68. Vers. 26. Claudius Liscus nomen est Tribunus Optimo Præfidi Felici. Syriacus, Felici victorioso Arabic. Potentissimo. Arias Vatabl. Præstantissimo D. Chrylost. Scriptis epistolis in hanc formam.

69. Vers. 27. Cum exercitum nempe militibus, eripuit cognito, quia Romanus est. Hoc dixit, ait Lyranus ad acquirendam gratiam, & benevolentiam præsidis Romani, tanquam quod ipse habeat magnum zelum de civibus romanis, de eorumque privilegio.

70. Vers. 28. Scire causam, quam objiciebant illi. Arabic. Pro qua accusabant illum. Duxit eum in Concilium eorum, ut multorum examine res ventilaretur ad majorem veritatis indaginem.

71. Vers. 29. Nihil vero dignum morte. Ethiop. Et non fuit delictum, & crimen, pro quo moreretur, & pro quo vinceretur. Maxime fulget, ac resplendet virtus, ac innocentia Pauli, quod ab homine gentili inter tantas Judæorum calumnias tam præclarum habeat testimonium, quod in eo ad nihil criminis sit.

72. Vers. 30. Cum prolatum esset de insidiis. Arabic. Certior factus de fraude, misit illum ad te; Tribunus vult excutere causam à se, timet ne ob liberatum Paulum propter suam innocentiam, novis machinationibus contra ipsum tribunalum insurgant.

QUÆSTIO

QUÆSTIO X.

Quare tam crudeli odio Judæi necem Pauli procurabant?

73. Insuperabili odio Judæi Paulum ad mortem postulabant, ita ut quadringenti viri se juramento adstrinxerint se non manducatuos, nec bibituos donec Paulum de medio tollerent vers. 13. & ut ad tutam Pauli custodiam tot militum armata manus necessaria erat.

74. D. Chrylost. homil. 50. in acta existimat hanc Iudæorum iram tentantem omni impetu præcipitare Paulum à Diabolo fuisse exagitatam, instigatam ipso maxime eorum animos, ut solet facere contra justos, ac Sanctos Ioan. epistol. 1. cap. 3. n. 12. ait: Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum, non sicut Carni, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et unde in tam turpe facinus venit, ut occideret fratrem suum Abel sanctum, & innocentem, quia ex maligno erat, scilicet diabolo movente, & excitante cor ejus Rupertus lib. 8. in Apocalyp ait, Hoc est signum, in quo cognoscant hi, qui ex Deo sunt, ex maligno illum esse malignum, qui occidit, quod non fecit, qui ex Deo est.

75. Hoc autem osium Diaboli in Paulum, maxime exactum, ac promotum est in eum, quia audivit eum laudatum à Christo domino dicente, Sic testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet Roma testificari. Sup. vers. 12. ut ibi dixi ex D. Chrylost. Christus Dominus laudat, & approbat testificationem à paulo datam in Jerusalem, & similem ab eo postulat Romæ, laudata virtus aculeum est diabolo, ut urgeat tentationibus, Tertull. lib de pœnit. cap. 7. ait, Tunc maxime sævit, cum hominem magis liberum sentit.

76. Ascendit Christus dominus de aquâ Jordanis, scinduntur nubes, micat Cælum, volat columba de alto, sonat vox patris. Hic est filius meus dilectus. Matth. 3. n. 17. post laudes optimi parentis, ac testimonia magni dei, uno accedens tentator. Matth. 4. n. 2. Laudatur Iob, quod non sit similis vir in universa terra, statim Diabolus vocat eum ad certamen; extendit manum suam, & tangit eum, Iob. 1. n. 8. ea, ut observat D. Chrylost. homilia 13. in Iob. & ait, Propterea contra Sanctum Iobum nequitia sua arma commovit, quia usque videbat illum à Deo armatum magnis laudibus.

77. Episcopum philadelphicum Apocal. 3. n. 8. Dominus laudat, Scio opera tua ut pote bona, & iterum, Servasti nomen meum; nempe fidem meam; & statim exurgit Synagoga Sathanæ contra eum, Ecce dabo de Synagoga Sathanæ n. 9. lib. 2 in Apocalyp. ait, Ac si Dominus dei gloriam, quam habes sequitur invidia.

78. Mirificè Divinus Sponsus laudat animam sanctam, quod sit pulchra, Cant. 4. n. 1. laudat ipsius oculos, capillos, genas, labia, & post tantam virtutum pulchritudinem, ac elegantiam annectit, Sicut turris David colum eum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium n. 4. Quid tenera Virgo eum arce, clypeis, ac armatura fortium nitentur, ac resplendent in ea omnes virtutes proximæ proclamata, requiritur ad sui defensionem, ac custodiam; ut se recipiat in arce, munita omni armaturâ fortium ad extorquendos, ac reprimendos furiosos inimicorum impetus, ac assaltus, quibus ipsam vo-

lunt suffocare, ac consumere, Gilbert, serm. 26. ait: Effectus libertatis tuendæ tibi de cetero incumbit negotium.

Dicitur Exod. 12. n. 37. Profecti sunt filij Israel de Ramesse in Socoth. Hoc nomen Socoth. Hebraicè idem valet, ac tentoria militum, ut observaverunt D. Hieron. epistol. 127. ad Fabiolam Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 23. Petrus Damia. lib. 2. epist. 7. Filij Israel valde pacifici exhibant nemini infidentes ali-quod nocumentum, quomodo dicitur, quod egrediebantur ad tentoria, seu ad castra militum. ibant Hebræi multo D. favore, ac ejus gratia sublimate, omnibus Aegyptiorum bonis locupletati, & tantis bonis cumulatis procedebant ad tentoria, ac castra militum, ad sustentandum magnum bellum contra eos commotum odio, ac invidia inimicorum. D. Hieron. ad man. 5. ait, Ubi enim magnitudo gratia, ibi magnitudo discriminis.

QUÆSTIO XI.

Quare D. Paulus tam magnifico comitatu tendit in Cæsarem.

80. Ibat Paulus, ut patet ex vers. 23. & 24. eques stipatus magno comitatu 470 equitum, ac militum pedum, & quamvis hoc esset ordinatum à Tribuno ad custodiendum Paulum ab insidiis Judæorum, tamen deus ordinavit ad honorandum Paulum. Hæc est alta Dei providentia quod ex insidiis, quas iniqui machinantur contra sanctos, & justos, Deos assumit occasionem ad eorum honorem, & exaltationem.

81. Ut patet in insidiis, quas filij Iacob ordinaverunt in fratrem suum Joseph, unde eis dixit ille Gen. 45. n. 8. Non vestro consilio, sed Divinâ voluntate hu. missus sum, qui me fecit quasi Patrem Pharaonis, & dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Aegypti. Sic ex insidiis Aman maxime exaltatus est populus Judaicus Esth. 8. n. 16. sic ex observatione facta in oratione à Satriapis Babiloniæ, ut Daniel mitteretur in lacum leonum, cum magnâ gloriâ sublatus exivit Daniel. Daniel. 6. n. 2. quod etiam in Susanna visitur Daniel 13. n. 40. In quo nota, quod Evæ & Susannæ in hortis tenduntur insidiæ; contra Evam unus serpens se erigit, contra Susannam duo serpentes; senes & debiles: scemina duo insidiantur, quia ab ipsis erat victoria reportanda, ut ita fieret gloriosior, & illustrior Susanna.

82. Ait Job. 40. n. 16. de diabolo Habitat in locis humentibus; hoc est in aquis, per quas significantur delicia mundi, ut eis valeat suis tentationibus insidiari hominibus, eosque capere, alto tamen consilio Dei aquæ præparantur, ut homines inde renascantur in gratiâ, ut cælestes triumphatores terrenis conculcatis volent in cælum; D. Cyrillus Hierosolym. Catech. 3. ait: Draco erat in aquis (ut ait Iob) qui ore capiebat Iordanem; cum igitur essent conterenda capita Draconis, descendens Iesus in aquas ligavit fortem, ut facultatem eâ candi super serpentes capiannus. Callidissimus Draco insidias parabat in aquâ, in aquâ erat conculcandus, descendente Iesu in illam, & ubi sperabat vincere, ibi vincitur. Ait Ecclesia ejus nomine divina Sponsa. Cantic. 2. n. 15. Capite nobis vulpes parvulos, qui demoluntur vineas. Per vulpes est communis sensus Patrum, & ait D. Aug. in psalm. 80. Vulpes insidiosos, maximeque hereticos, fraudulentos, ac dolosos significant. Iuxta illud Ezechiel, 13. n. 41. & ait

Quasi

Luc. 13. Quasi vulpes in deserto Propheta tui Israel erant. Unde ob fraudulentiam, & insidias sic Christus Dominus loquitur de Herode, Luc. 13. n. 31. Dicite vni pi illi, Dicuntur haeretici vulpes parvulae, quia se fingunt humiles, & mites, ut suum venenum valeant insinuare, & notandum ex D. Bernardo ferm 64. Quod non iubentur vulpes ab sponsa exurminari, vel abigi, sed capi, seu ut legit Arias Montanus prendere, ut ipsi, qui intendebant suis insidiis, ac fraudibus demoliri vineas Ecclesiae comprehendantur, & tanquam captivi pereant, ut Ecclesia viatrix, ac triumphatrix exulter.

D. Berno. Compre bendan tur, ut Ecclesia sublimetur.

QUESTIO XII.

Quisnam esset iste Felix Praeses?

83. Felix iste (ut testis est Suetonius cap. 28.) frater erat Pallanti, qui multum gratia, ac potentia apud Imperatorem pollebat, adeo, ut nuptias Agripinae (ex qua natus est Nero) cum Claudio patruo suo conciliaverit, & hac de causa Nero obtinuit Imperium succedens Claudio. In gratiam ergo rallantis Claudius Felicem fratrem in seruo fecit libertum, eumque fecit praesidem Iudaeae, Samariae, Caesareae, ut testatur Joseph. lib. de Antiquitate cap. 22. 84. Nero etiam postea praefecit Iudae praesidem, sed senescente gratia, iurpiter eum post biennium amovit: Tacitus dat illi pronomen Antonius ab Antonia matre Claudii, cuius fuerat servus; & ita vocabatur Felix Antonius Claudius, nam liberi trinomiali appellari solebant. Iste Felix, cum ex seruo factus esset praeses erat superbissimus, & malis moribus praeditus, quia ut cecinit Juvenal. Nil asperius, quam humilis, dum subit in altum. Et cum tam pessimus esset, multis magnis laudibus, ac titulis eum illustrat Tribunus, dicit optimum, victoriosum, praestantissimum, potentissimum voce adulatoria, pro quo Vide cap. 12. q. 19. n. 143. 144. 145. De hoc Felice iterum dicam cap. sequenti q. 9.

Joseph.

84.

Tacitus.

85.

CAPUT XXIV.

1. Post quinque autem dies descendit princeps Sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt praesidem adversus Paulum. 2. Et citato Paulo cepit accusare Tertullus, dicens, Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam. 3. Semper & ubique suscipimus, optime Felix cum omni gratiarum actione. 4. Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia. 5. Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudaeis in universo orbe, & auctorem seditionis sectae Nazarenorum.

- 6. Qui etiam templum conatus est violare, quem apprehensum volumus secundum legem nostram iudicare. 7. Superciliens autem tribunus Lyfias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris. 8. Lubens accusatores ejus ad te venire, a quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. 9. Adjecerunt autem & Iudaei, dicentes haec ita se habere. 10. Respondit autem Paulus, (annuente sibi Praeside dicere) ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. 11. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendit adorare in Jerusalem. 12. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem in turba, neque in Synagoga; 13. Neque in Civitate, neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. 14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt haesim, sic deservio Patri, & Deo meo, credent omnibus, quae in lege, & Prophetis scripta sunt. 15. Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum. 16. In hoc & ipse stude sine offenculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. 17. Post annos autem plures elemosinas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota; 18. In quibus invenerunt me purificatum in templo non cum turba, neque cum tumultu. 19. Quidam autem ex Asia Iudaei, quos oportebat apud te praesto esse, & accusare, si quid haberent adversum me. 20. Aut hi ipsi dicunt si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stent in Concilio; 21. Nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans, Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis. 22. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. 23. Iussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. 24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quae erat Iudaea, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quae est in Christo Iesum. 25. Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit, Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te. 26. Simul & sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. 27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum. Volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix, reliquit Paulum vincitum.

ARGUMENTUM.

Tertullo oratore accusatur Paulus coram Felice, Apostolus tam subtiliter causam suam agit, ut Felix optaret instrui in fide Christi, & totus tremefactus eum audiret Paulum, quem Porcio successor suo vincitum reliquit.

Act. 24. n. 1. Post quinque dies descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum senioribus quibusdam, & tertullo quodam oratore, qui adierunt praesidem adversus Paulum.

Versiones. PRIMA EXPOSITIO Usque ad Vers. 4.

- 1. Vers. 1. Post quinque autem dies, quibus transfactis paulus discesserat a Jerusalem, altero vero die post discessum Tribunus fecit certiorum Pontificem, quomodo miserat Paulum in Caesarem, ut dictum est cap. 23. n. 32 consumptis tribus diebus in itinere, sequenti autem die ne pe quinto vocatus est Paulus ad praetorium. 2. Descendit princeps Sacerdotum, ut coram eo causa ageretur, tum quia erat Sadduceus, & fervebat odio in Paulum, tum quia timebat accusari, quia iusserat percuti os pauli, antequam audiretur superiori cap. 23 n. 2. Cum senioribus d. Chrysof. Qui comparavit apud Praesidem ex Jerusalem, ut accusarent paulum, & Tertullo quod oratore. Syriac. Refertur, ut pro eis verba faceret, & loqueretur latino sermone, quia praeses non intelligebat Hebraicum. 3. Vers. 2. Et citato Paulo. Syriac. Cum vocatus esset Paulus. Adulterio sermone incipit Tertullus: Cum multa pace agamus per te: Arabic. O potentissime Felix complexa est pax tua. Facit allusionem ad illum pseudopphetam Aegyptium, de quo supra ex egi, qui seducebat populum, quem Felix destruxit cum suo exercitu, & etiam Jonatham Pontificem per sicarios, de quo agit Josephus lib. 20. cap. 6. 4. Et multa corrigenda per tuam providentiam. Syriac. Propter te multa directiones sunt huic genti pondere actionis. Arabicus, Contigerunt huic genti per gubernationem tuam beneficia plurima. Laudat eximiam ejus providentiam in suagubernatione. 5. Vers. 3. Semper, & ubique suscipimus. Vatablus, Comprobamus, admirantes comprobamus & suscipimus gubernationem tuam, Optime Felix, de quo dixi supra cap. 23. q. 12. cum gratiarum actione tam Deo, quam tibi. 6. Vers. 4. Ne diutius autem te protraham. Syriac. Ne te diutius fatigem. D. Chrysof. Ne diutius morer paucis. Arias, Ne super plus interpellem, & subdit text, Audias nos pro tua clementia d. Chrysof. pro tua humanitate, benignitate, ac clementia.

D. Chrysof. Syriac.

3. Syriac Arabic.

Joseph.

4. Syriac Arabic.

5. Vatabl.

6. Syriac. D. Chrysof. Arias.

earum causas agendas, & disponendas, quia frequenter homines non sunt periti iure, ac proinde indigent a quibus illuminentur, & hi oratores nuncupabantur, qui pro suorum causis orabant.

Hunc in praesenti Ananias, & Seniores Iudaeorum elegerunt Tertullum, tum ut cum multa eloquentia verborum rem proponeret, tum quia erat Italus, ut nome indicat, & optime sciebat leges Romanorum, ut secundum illas perire rem proponeret, deinde ut Italus loqueretur latine, ut bene eum intelligeret Praeses, qui Romanus erat, & forte non intelligebat linguam hebraicam, & hac de causa solebant praesides provinciarum secum ducere procuratores, ac advocatos Italos in Provincias, ad quas ducebantur, ut causas Provinciarum latine suscipere, ut bene intelligentes de eis recte disponderent.

Etiam moraliter dicam; erant principes, & majores populi utpote ignorantes in causis, ac negotiis, ideo eligunt oratorem, ac procuratorem, qui pro eis dicat, ac loquatur, Sicut cum esset malus & pessimus unum de se verum, ac regium fatetur loquens, 1. Reg. 26. n. 21. sic ait, Hodie apparet, quod ignoraverim multa nimis. Cum assistentes semper ad placita loquantur, & inter adulatores versetur princeps, inde integra veritas ignota est ei, quod dixit Seneca lib. 6. de benef. cap. 30. & ait, morstrabo tibi, cujus rei inopia laborant magna fastigia & quid omnia possidentibus desit, ille scilicet, qui verum dicat, & homini intermentione stupentem, ipsa consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam ver perductum. Expende ultima verba, ad ignorantiam veri perductum.

Scribit D. Matth. 14. n. 1. In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Iesu. Tam lata, & praecleara erat fama Iesu de suis magnis operibus, & miraculis in tota Iudaea & Galilaea, ut nullus esset qui ignoraret suscitata filia principis Synagoga, scribit D. Matth. 9. n. 26. Exiit fama hac in universam terram illam, si divina, ac miraculosa Christi opera totum impleverant orbem, quomodo tam tarde fama illorum pervenit ad herodem. Hac est misera conditio principum, qui ignorantia laborant eorum, quae ipsis maxime utilia sunt D. Chrysof. homil. 49. in Matth. ait, Non otiose tempus evangelista notavit, non enim ab ipsis statim miraculorum exordiis famam Iesu; sed post multum tempus percipit Herodes, Huiusmodi enim sunt, qui in principatu vivunt, nam quoniam factum rerum plurimorum sibi arrogant parvi facientes cetera raro ea perdiscunt. Saepe contingit, ut quod apud omnes est vulgare, ac notum, a solo psincipe ignoretur.

83. Praeside adducebant ad vitatos Italos.

1. Reg. 26. Ignorantia propria magis ignorantia.

10. Math. 14.

Math. 9. Natum omnibus Princeps ignorat.

QUESTIO I.

Quare Summus Pontifex, & Seniores Iudaeorum eligunt Tertullum, ut pro eis causam patrocinetur, & agat?

7. Communis omnium gentium consuetudo extitit procuratorem, & advocatum exponere ad

QUESTIO II.

Quare Tertullus laudat Praesidem Felicem de sua providentia in gubernatione.

IN praefatione orationis ait Tertullus ad praesidem vers. 2. Cum multa, pace agamus per te, & multa